



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 3. Regis Arragonum postulata ad Legatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

quam tamen Alphonſi animum flectere
 valuit.

Sæcul. XV.
 A.C.1425.

§. III.

*Regis Arragoniæ poſtulata ad
 Legatum.*

Interea temporis Arragoniæ Rex Ordinis S. Dominici Religioſum, quem a confeſſionibus habebat, ad Cardinalem miſit, qui tria ab eo peteret. I. Ut ſibi liceret, S. Ludovici Epilcopi Tolofani reliquias, quas Maſſilia ſecum detuliſſet, in quadam Arragonenſium Franciſcanorum Eccleſia deponere. II. Ut omnes jam aliquamdiu pro terris ſuiſque ditionibus cenſus debiti, & Cameræ Apoſtolicæ jura ſibi condonentur. Denique III. Ut Rocale Urbe, Rhodiorum Equitibus ſubdita, uti fruique poſſet. Primum petitum, cum id Galliæ Regibus nimis grave accidiffet, omnino negavit Cardinalis, tertium quoque admittere recuſabat, cauſſatus, inde injuriam, damnumque Rhodiorum Equitibus emerſurum; cum hi ad conſervandam hanc urbem nec ſumptibus, nec ſanguini hucusque peperciſſent. Alteri tamen articulo ſe aſſenſurum ſponſondit, dummodo Regis alloquendi copia ſibi fieret, ac Pſeudo-Papam Panicolæ latitantem deſerere, Alphonſus promitteret.

L 1 2

Eodem

Sæcul. XV. Eodem anno Henricus Alphonfi fra-
A.C. 1425. ter e Castellano carcere dimissus refer-
 tur, cujus libertatem Carolus *Nobilis*
 Navarræ Rex indefesso studio promove-
 rat, hoc ipso tamen anno die octava Se-
 ptembris ex hac vita migravit, Pompejo-
 poli sepultus. Successit ei Blanca il-
 lius Filia, necnon Joannes hujus Maritus,
 ac Regis Arragoniæ frater.

§. IV.

*Ordo Eremitarum S. Hieronymi
institutus.*

*Onuphr. in
Chron. Mau-
rol de Ord.
Relig.*

Sub idem tempus Lupus ab Oliveto, na-
 tione Hispanus, Romæ in conventu
 S. Alexii Ordinem Hieronymitanorum,
 seu Eremitarum D. Hieronymi instituit.
 Is antea erat supremus hujus Ordinis
 Præfectus, qui ad Carthusianos transiit,
 sed paulo post ad priorem rediit statum.
 Lupus D. Hieronymi libros sedulo scruta-
 tus, ex illis, ac præcipue ex ejus episto-
 lis particularem concinnavit Regulam,
 quam Pontifici, cui in paucis carus, &
 quondam Parisiis ejusdem studii socius
 erat, exhibuit, supplicans, ut Ordo suus,
 relicta S. Augustini, quam hucusque pro-
 fitebatur, regula, illam ex D. Hieronymo
 collectam auctoritate Pontificia amplecti
 posset. Annuit Papa, sed Lupus Reli-
 giosos suos graviter reluctantes expertus,
 ab